



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt III. Fames quid sit, & quantum malum ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

incuruat senectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira, & inter has omnia mors excindit cum minis, & sic imponit finem omnibus corporeis latitijs, ut ab eo, quod est esse, recedens, ne fuisse quidem putetur. Pro nihilo enim de cetero habetur, quidquid non est. Illa autem vita aeterna, hanc vitam caducam, miseramq;, & breuem excipiens, cum aeternis afflictionibus & tormentis datur malis, & injustis: latitia verò aeterna & exultatio præbetur justis. Sic sanctissima Virgo & Martyr Cæcilia à fluxis bonis, immò malis, ad stabilia; à terrenis ad cælestia, à desituris ad semper duratura bona traduxit. Nemo enim est, qui, si hæc inter se se conferat, vanitati non præferat veritatem. Atque hac de causa diuina Sapientia vitæ huius ærumnas nobis ante oculos ponit, ut nos melioris vitæ delicias miserijs discamus præponere.

CAPVT III.

Fames quid sit, & quantum malum?

I.



Inter miseras, quæ humanum genus affligunt, venit incensum etiam Fames, non rarus Belli, aut comes, aut sequela, & sæpe etiam extra belli tempora mortales infestans. Quæ non absurdè etiam quoddam genus morbi potest appellari: neque enim solùm morbos atque debilitatem creat, sed ipsa quoque sæuissimo cum cruciatu vitam tollit. Scertè Augustinus cibum mortalibus pro medicina, aut saltem instar medicinæ esse obseruauit. Sicut enim multi agrorum vitam morbo amitterent, nisi Æsculapius aliquis eis medicinam faceret; ita profectò omnes, nisi comederent, fame interirent. Itaque cibus eis pro pharmaco est, pro medico coquus. Tametsi enim fames, appetitus calidi & sicci, est à natura homini data, quæ hominem allicit ad vires restaurandas, optimúmque cibi condimentum haud immeritò à Socrate vocatur; quippe

Ieiunus stomachus rarè vulgaria temnit:

tàmen ea sæpe molesta accidit, & sæpe cruciat, sæpe necat. Hinc illud apud Comicum legimus:

Fames, & mora bilem in nasum concitant.

Tantumque est malum, ut apud Ieremiam legamus: *Melius fuit occisis*

S. Augustin.
lib. 10.
Confess. c. 31.

Aristot. lib. 2.
de Anima.
Cic. lib. 5.
Tusc. qq.

Horat. lib. 2.
Carm. 2.

Plaut. in
Amph.
Thren. 4. 9.

occisis gladio, quam interfecit fames: quoniam illi extabuerunt consumpti a sterilitate terra. Quod expertus est, Abrahæ temporibus, orbis terrarum. Facta est autem fames in terra; descenditq; Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, prænauerat enim fames in terra. Fugit ergo Abram cum vxore sua famem, quemadmodum & Elimlech, de quo in historia Ruth hæc habentur. In diebus vnus iudicis, quando iudices praerant, facta est fames in terra. Abijt q; homo de Bethlehem Iuda, ut peregrinaretur in regione Moabide cum vxore sua ac duobus liberis. Ad eò metuenda res est fames, vt homines cogat patriam cum exilio mutare. Quod & Iacob contigit, qui nisi fame pulsus, numquam in Ægyptum cum filijs, & omni familia sua descendisset: Sicut nec Isaac pater eius ad Abimelech regem Palaſtinorum in Gerara. Tempore autem regum, saepius hoc exitij genere laceratae sunt multae regiones.

Gen. 12. 10.

Ruth. 1. 1.

Gen. 46.

Gen. 26. 14

II.

In profanis quoque historijs multa reperimus exempla magnarum calamitatum à fame profectarum. Vt enim obfesa Samaria, rabies edendi, etiam matres adegit ad proprios filios coquendos & comedendos; ita & post Christum à Iudæis occisum, tempore Titi & Vespasiani, in obsidione vrbis Ierosolymitanae idem factum est. Nimirum haud immeritò fames à Poëtis male suada nominatur. Nam vt C. Cato, in oratione, quam habuit ad populum tumultuantem de frumento diuidendo, dixit: Perdifficile est ad carentem auribus ventrem verba facere. Venter quippe cibi avidus praecepta non audit. Hinc post victoriam Plataensem Atheniense, Xantippo duce, cum Sestum in Chersoneso oppugnarent, obsidio illa tam diu durauit, vt, qui obsidione tenebantur, lectorum funibus elixis vescerentur. Quid dico funibus? infantibus iam dictum est; immò & viris, Nam, vt Sigonius testatur, Anno 546. Romani, qui Placentiae erant, inopia rei frumentariae vsque ad eò laborare fame coeperunt, vt carnes humanas esui adhiberent. Quibus malis adacti semet cum vrbe Totila Gothorum regi dederunt. Et Alexander Guaguinus memorat, Anno Christi 1569. centum quinquaginta rusticos ad aedificandam arcem Orlo à Io. Basilide Moschorum tyranno missos, coactos fuisse, ob annonae penuriam ex suis nouem mactare, & illorum carnibus vesci. Pharaon per somnium putabat, se stare super fluminem, de quo ascen-

4 Reg. 6.

Ioseph. lib. 2. de bell. Iud. c. 8. & Cal. lib. 23 c. 24.

Plutarch. in Caton.

Sabell. lib. 2. Eunead. 3v.

Sigon. lib. 19 de regn. Ital.

Alex. Guaguin. in Moschouia.

Gen. 41. 1.

D debant

debant septem boves, pulchra, & crassa nimis: & pascebantur in locis palustribus. Alia quoque septem emergebant de flumine. fœda confecta; macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: deuoraueruntque eas, quarum mira species & habitudo corporis erat: Quo viso septem annorum fertilitas, à septem aliorum annorum sterilitate absumenda portendebatur. Quam famem non portendet, si non iam vaccæ à vaccis, per somnium, sed ipsi homines re ipsa ab hominibus deuorentur? Tantum est hoc malum, vt id antè, quàm inferret, DEVS vel per cœleste signum legatur denuntiâsse. Anno 944. in Italia miræ magnitudinis ac proceritatis continuis noctibus cometes apparuit, igneos diffundens radios; qui imminentem famem, qua paulò post pressa est vniuersa Italia, significauit, teste Luitprando & Sigeberto, quamuis Vrspergensis cometam ad Annum 945. referat.

Luitprand.
lib. 5. c. 1. Sigebert
cod. An.

Vrsperg.
An. 945.

III.

Sabell. lib. 9.
Eneid. 4.

Bruson. lib. 7.
c. 6. ex Plutarcho.

Quæ ciuitas est tam vallis, mœnibus præsidijque omnibus munita, vt fame capi non possit? Stipendiarij Carthaginensium, post primum Punicum bellum, seditione mota, ad extremum periculum res Carthaginensium deduxerant, nec nisi fame ab Hamilcare domari potuere. Constat illos, captiuorum primò, mox & seruorum corpora crudeliter absumpsisse. Itaque fames humana corpora, famelici ciuitatem perdiderunt. Tyrus quoque vrbs à Venetis & Latinis reliquis fame capta fuit Anno 1124. Cal. Iulij. Quinque tantùm tunc frumenti modij in vrbe reperti fuisse dicuntur. Quid opus est hic exemplis? omnes historiae plenæ sunt; & docet quotidiana experientia, nihil fame potentius esse ad bestias hominesque perdomandos. Lysimachus superatus à Dromichete in Thracia, cum seipsum totumque exercitum propter sitim tradidisset, postquam captiuus bibit: *O Dii, inquebat, quàm parua voluptatis causa me ipsum ex rege seruum effeci!* M. Brutus, post eadem Dictatoris, cum ex Macedonia in Epirum properaret ad legiones Gabinij accipiendas, per multam niuem iter faciens, prope Dyrrhachium ex labore & algore bulimia, id est, vehementi esurie, & velut canina fame est correptus; iamque animo deficiebatur, adè vt cum nullus in exercitu quidquam haberet cibarij, necesse fuerit ministris eius ad hostes confugere, atque ad ipsam portam accedentes panem petere à statione.

tione. Quanta hæc sit miseria, norunt generosi Duces, quibus graue est, vel ab amicis aliquid petere, ne dum ab hoste panem mendicare. Tale aliquid passi sunt *Ethiopes* (ait Seneca crudelissima iram describens) qui ob longissimum vita spatium *Macrobii* appellantur, in hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missusq; legatis libera responsa dederant, qua contumeliosa reges vocant, *Cambyses* fremebat; & non prouisis comestibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arenia traherebat omnem bello utilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta humanoq; ignota vestigio regio. Sustinebant famem primò tenerrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quidquid necessitas cibum fecerat: postquam inter arenas radices quoq; & herba defecerant, apparuitq; inops etiam animalium solitudo, decimum quemq; sortiti, alimentum habuerunt fame sauius. Agebat adhuc ira regem precipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illi regia aues, & instrumenta epularum camelis uehebantur: cum sortirentur milites eius, quis male periret, quis peius uineret. Tantò autem peius est esurire, si videas alium regiè epulari; crescit enim cupiditas edendi, si in oculis sit, quod ore appetis. Hinc vel, quòd *Secreta Deorù* prodiderit, vel quòd ijs humanas carnes apposuerit, in fabulis, apud *Inferos*,

Quærit aquas in aquis, & poma fugatia captat
Tantalus.

æterna fame punitus. Puniti sunt autem fame, in hac vita, quàm plurimi; & non pauci seipfos inedia interemerunt. Vxor *Hircani* III. Ducis Iudæorum, à filio, in vinculis, fame precepta est; vti vicissim à matre *Eristhenes*; & à patre *Agefilao* *Pausanias* in templum *Palladis* inclusus; & *Aristo* maledicus *Poëta* ab *Atheniensibus*; qui idem fecerunt *Anaxandridi*, ob eandem causam: & alij alijs. Haud pauci autem, cum alia ad mortem via deesset, inedia sibi ipsis vitam abrumpere. vt *Sisigambis* *Darij* *Perfarum* regis mater ab *Alexandro Magno* capta, inedia extincta est, cum cibo aliquamdiu abstinuisset. Quod & complures alij ausi sunt, vel morbi, aut injuriarum dolore, vel vitæ tædio affecti, dolorem dolore finientes.

IV. Ut autem corpus vexat edendi insatiabilis appetitus, ita & animum in multa crimina impellit. Quot mulieres ut habeant, quod edant, pudicitiam vendunt? Pretium enim scorti vix est unus panis. Neque enim aves tantum, aut ferae, escae causa in retia incidunt, sed etiam homines.

Perf. in. Prologo.
Iuuenal.

*Magister artis, ingeniq; largitor Venter, quid non audet?
Graeculus, esuriens in calum iusseris, ibit.*

Sigebert. in Chron. An. 1095.

Fames, prodicionum, perfidia, latrociniorum, & cuius non maleficij est causa! Memorat Sigebertus Anno Christi 1095. cum grauissima vbique fames inualuisset, mirifice ditiores a pauperibus, per furta, rapinas, incendia, fuisse vexatos. Quam inedia vim cum non ignoraret, velut catapultam adhibuit ipsi Christo Stygius veterator. Ita enim loquitur Euangelista: *Et cum ieiunasset, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti, panes fiant.* Quem tamen nec fames, nec tentator vicit ut ostenderet, nequaquam panis aut cibi cuiuscumq; causa vlli suggestioni diabolicę esse parendum.

Math. 4: 2.

V. Quantum sit in fame malum, etiam Poęta ostenderunt in pœna Erisichthonis, quam illi Dea frugum Ceres immisit a Dryadibus offensis exorata. Fabulam ita describit Ouidius:

Ouid. lib. 8. Metamorph. fab. 13.

*Omnes germane Cererem cum vestibus atris
Mœrentes adeunt, pœnamq; Erisichthonis orant.
Annuit his, capitq; sui pulcherrima motu
Concussit gravidis oneratos mensibus agros.
Moliturq; genus pœna miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare fame: qua quatenus ipsi
Non adeunda Dea (neque enim Cereremq;, Famemq;
Fata coire sinunt) montani numini vnã,
Talibus agrestem compellat Oreada dictis:
Est locus extremis Scythia glacialis in oris,
Triste solum, Sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners: illic habitant Pallorq;, Tremorq;
Et ieiuna Fames. ea se in præcordia condat
Sacrilegi seclerata, jube: nec copia rerum*

VINCAS

Vincat eam, superetq; meas certamine vires.
 Neve via spatium te terreat, accipe currus,
 Accipe, quos franis altè moderère dracones,
 Et dedit: illa dato subuecta per aëra currus,
 Deuenit in Scythiam, rigidiq; cacumina montis,
 (Caucasum appellant) serpentum colla leuauit,
 Quasitamq; famem lapidoso vidit in agro,
 Vnguibus & raris vellentem dentibus herbas.
 Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
 Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
 Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
 Ossa sub incuruis extabant arida lumbis:
 Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
 Pectus, & a spina tantummodo crate teneri.
 Auxerat articulos macies, genarumq; tumebat
 Orbis, & immodico prodibant tubere tali.
 Hanc procul ut vidit (neq; enim est accedere iuxta
 Ausa) refert mandata Dea: paulumq; morata
 Quamquam aberat longè, quamquam modo venerat illuc,
 Visa tamen sensisse famem, retroq; dracones
 Egit in Amoniam versis sublimis habenis.
 Dicta fames Cereris (quamuis contraria semper
 Illius est operi) peragit, perq; aëra vento
 Ad iussam delata domum est, & protinus intrat
 Sacrilegi thalamos altoq; sopore solutum
 (Mortis enim tempus) geminis amplectitur vlnis,
 Seq; viro inspirat, faucesq; & pectus, & ora
 Asslat, ut in vacuis peragat ieiunia venis.
 Functaq; mandato, fecundam deserit urbem,
 Inq; domos inopes, assuetaq; vertitur antra:
 Lenis adhuc somnus placidis Erisichthona pennis
 Mulcebat, petit ille dapes sub imagine somni,
 Oraq; vana mouet, dentemq; in dente fatigat,
 Exercetq; cibo delusum guttur inani,
 Proq; epulis tennes nequicquam denorat auras,
 Ut verò est expulsa quies, furit ardor edendi,

Perq̄, avidas fauces, immensaq̄, viscera regnat.
 Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër,
 Poscit, & appositis queritur jeiunia mensis:
 Inq̄, epulis epulas quarit: quodq̄, urbibus esse,
 Quodq̄, satis poterat populo, non sufficit vni:
 Plusq̄, cupit, quò plura suam demittit in aluum.
 Vtq̄, fretum recipit de tota flumina terra,
 Nec satiatur aquis, peregrinosq̄, ebibit amnes:
 Vtq̄, rapax ignis non umquam alimenta recusat,
 Innumerasq̄, faces cremat, & quò copia maior
 Est data, plura cupit, turbaq̄, voracior ipsa est:
 Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
 Accipiunt, poscuntq̄, simul: cibus omnis in illo
 Causa cibi est, semperq̄, locus fit inanis edendo.
 Iamq̄, fame patrias alti, voragine ventris
 Attenuarat opes, sed inattenuata manebat
 Tum quoq̄, dira fames, implacataq̄, vigeat
 Flamma gula; tandem demisso in viscera censu,
 Filia restabat, non illo digna parente:
 Hanc quoq̄, vendit inops.

Quæ dominum recusans, & abhorrens à servitute, varijs modis famelico succurrebat,

Præbebatq̄, avido non iusta alimenta parenti.
 Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem
 Materiam, dederatq̄, graui noua pabula morbo,
 Ipse suos artus lacero diuellere morsu
 Cæpit, & infelix minuendo corpus alebat.

Quod multis reuera legimus contigisse, qui fame adacti sibi digi-
 gitos prærodebant, & extrema brachiorum, qua tenus ea ore
 contingere potuerunt. Quod autem maius esse malum potest,
 quàm quod hominem eò impellit, vt non solùm sua, sed etiam
 se ipsum absumat deuoretq̄? Nonne ad hoc perduxit sitientes
 homines, ait S. Augustinus, ardor immanis, vt urinam quoque hu-
 manam, vel etiam suam biberent? Nonne ad hoc fames, vt à carnibus
 hominum abstinere se non possent, nec inuentos homines mortuos, sed
 propter hoc à se occisos, nec quoslibet alienos, verùm etiam filios, matres
 ingrediuntur.

S. Aug. lib. 22.
de ciuit. c. 22.

incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent? Immo audiimus, inclusos, alioque cibo destitutos, prærodisse sibimetipsis digitos, ut dixi, manus absumpsisse, & brachia eò usque manducasse, quò dentes poterant attingere; quoque os non potuit peruenire populando, saltem adhuc appetitum aspirasse, contempto omni cruciatu, quem morsus faciebat. Nonne hæc plus est, quàm Erisichthonia fames?

C A P V T IV.

Fames quotuplex sit, & quàm varia? quamq̃ ex diuina prouidentia ad multa bona utilis?

Hæc ita esse, negari nequit, verum ut à malo bonum secernamus, ponendum est, duplicis esse generis famem, vnam moderatam, immodicam alteram; illa utilis, hæc naturæ aduersa est. Illa non est morbus, etsi ratione fragilitatis humanæ ac remedij rectè cum morbo comparetur; insana autem fames plus est quàm morbus. Moderata fames, quæ est concupiscentia calidi & sicci, usque adeò morbus non est, ut potiùs contrarium, hoc est, inappetentia cibi sit morbus; ipsa autem cibi cupiditas naturæ indita indicium sanitatis, & fulcrum existat. Miser est, qui cum nullum habeat alimentorum defectum, habet tamen defectum appetitus edendi, sine quo nulla esca sapit, sicut nec sine siti potio. Ut ergo condimentum cibi non inter mala, ita neque eiusdem cibi appetitum inter mala, sed inter bona, & naturæ conuenientia debemus numerare. Philosophum Poëticè loquentem audiamus:

*Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quòd natura cibum quarit cuiusq̃ animantis.
Quippe etenim fluere atq̃ recedere corpora rebus
Multa modis multis docui, sed plurima debent
Ex animalibus ijs, qua sunt exercita motu:
Multaq̃, per sudorem ex alto pressa feruntur:
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rarefcit corpus, & omnis
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.*

I.

Lucret lib. 4.
de rer. nat.

Propterea